DE MORBIS SALUTIFERIS APHORISMI DISSERTATIO INAUGURALIS...

Johannes Luggin

DE

MORBIS SALUTIFERIS

APHORISMI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE OBTINENDA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOANNES LUGGIN

TYROLENSIS CALDARIENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXXI

420

Digitized by Google

INTRODUCTIO

1. Complures sunt morbi, quos merito salutiferos nominare consuevimus. (1)

2. Eos nimirum hac voce condecoramus morbos, qui conspicuam corpori humano utilitatem, aut plus tamen salutis quam detrimenti adferunt.

3. Tales morbi aut aegrotantibus aut valetudinariis aut sanis ipsis accidere possunt.

4. Praesentes enim nunc aegrotationes fugant, mitigant, salubriter alterant; nunc futuras praecavent; dispositionem morbosam tollunt aut corrigunt, nunc statum valetudinarium in plenam sanitatem convertunt; nunc tandem multo meliorem; quam antea fuit, post se relinquunt valetudinem.

5. Morbi illi salubres provocantur saepissime ab autocratia naturae, rarius ab arte imitante.

6. Si enim ad morbum aliquem sanandum vel tamen mitigandum alias actiones morbosas excitamus, quid tandem aliud agimus, nisi naturam (me-

(1) Jam Hippocrate morbos in bonos et malos dispescit (de dieb. crit.) Eodem modo Boerrhaave morbos salubres agnoscit. (Path. 736.) Sic multi alii.

4

dicatricem) imitamur? Quod si certius nosceremus, qua ratione morbis natura medeatur, profecto plures essent morbi salutares, quos arte proliceremus (1).

7. In varias auctores sententias abiverunt, ut, quomodo morbus prodesse possit explicarent. Ardua est res, et nondum satis perspecta quae forsan sic explicari posset.

a) Morbus recens ortus tantam habet cum jam praesente aegritudine adfinitatem, ut hanc quasi adtractam absorbeat: quod quidem summo erit emolumento, si hac ratione morbus prior ab organo nobiliori ad ignobilius transferatur et ibidem cum novo morbo extinguatur. Aut

b) ex novi morbi in organismum aut jam aegretantem, aut male dispositum actione status quasi tertius efficitur, quo vel materia heterogenea debilitatur, eliminatur, corrigitur, vel dispositio alteratur, vel tandem utramque praestatur.

Inde patet, nunc derivatione vel excretione, nunc virium vitalium incremento vel decremento, nunc antagonismo sanitatem reduci posse.

8. Concedendum quidem, multos morbos nobis salubres dictos nil, nisi beneficium nullatenus invidiandum ad pellendos esse: sunt tamen beneficium, quo milleni mortalium carere nequeunt, quin summis vitae ac salutis periculis subeunt.

9. Sed tantum abest, ut morbos adeo celebratos semper et ubique salutem adferre contendam ut po-

(1) Reil Therap. Gener.

tius eosdem haud raro summum damnum injicere posse nullus dubitet, quum tristis experientia et ipsa rerum naturae ratio hoc doceat.

10. Sunt tamen morbi quidam, nec pauci, qui-bus κατ᾽ ἐξοχήν. Salubritatis laudem concernere debemus, uti patebit ex Aphorismis.

Generalia.

11. Morborum salutarium plurimi aetatem infantilem invadunt; quibus potissimum adnumerantur morbi evolutionis — molimina organismi majorem perfectionem adquirendi, unde magna ad turbas functionum dispositio (1).

12. Status valetudinarius (continua sanitatis per totam vitam vacillatio, debilitas habitualis, infirmitas continua:) in causa esse solet, ut multi morbi, a quibus robustiores trucidantur a debilibus, infirmis facilius et diutius ferantur, imo saepissime superentur.

13. Sunt anomaliae in corpore humano, a quibus haud raro sanitas relativa pendet; quas si tollere lentaveris, res pejus ruent.

Talis ergo prophylaxis summopere observari meretur.

14. Dispositiones morbosae interdum morbis accedentibus praecipue acutis, febris stipatis, corriguntur, imo radicitus ex stinguuntur.

15. Latior morborum per corpus aegrotantis ex-

(1) Henke de evolutione et evolutionis morbus.

pantio ab eam caussam non raro salutifera est; quod major organismi contra res nocentes vel morbum ipsum renisus provocatur. Id quod praesertim locum habet in febribus.

16. Actio organi cujusdam, imprimis secretorii, vicario modo aucta ob supressam vel imminutam alius organi functionem saepe unicum sanationis remedium.

17. Irritabilitate exaltata, quin usque ad statum febrilem evecta, corpus ita disponitur ut minus aptum sit seminibus morborum praeprimis contagiosorum recipiendis.

18. Et facta per artem secundaria irritatio primariam interdum auferre posse videtur (1).

19. Crises non solum in febribus observantur, sed et alii morbi non febriles chronici, haud raro vera crisi solvuntur e. g. exantemate, abscessu, impetigine, aliis excretionibus.

20. Metaschematismi morborum saepe salutares. (2).

21. Nec est quod complicaciones ipsas adeo timeamus, quum multi summam exinde utilitatem emersisse enarrent (3).

22. Sic acutus morbus chronico accedens, praecipue febris saepe sanationem mali inveterati perficere valet; quemadmodum haut raro morbis somaticis aegritudines psychicae tolluntur.

---

(1) P. Frank § l. 375.
(2) Brendel, Klose de Metaschem morb.
(3) A. O. Rivinus de morb. complicat.

23. Non pauci cum Avicenna valdopere errant, qui omnes recidivas, quocumque modo fiant, malus esse conclamitant. Nam saepe accidit, uti unica salus ex recidiva arrideat (1)

24. Etenim v. g. orta ex imperite suppressis febribus symptomata infarctus viscerum abdominalium inflationes hypochondriorum, asthmata incipientes hydropes accedente febri recidiva, praecipue intermittente, feliciter plerumque sublata sunt.

25. Sic etiam contra gravissimos morbos ex exanthemate vel impetigine suppressis ortos eorum revocatio sisiit optimum remedium.

26. Saepe sepius igitur medici est morbos suppressos resuscitandos si ex subpressis majus minetur periculum, quam ex manifestis. Huc potissimum spectant secretiones et excretiones suppressae, sive normales, sive abnormales; exanthemata et impetigines retropulsa aut retrogressa; cujuscumque morbi metastasis et metaschematismus, si inde vis mali crescat. (2)

Febres.

27 Stat in experientia et praxi firmum, ut alibi, sic etiam et praecipue in febribus naturam humanam, quamvis facile et saepe erret et labascat, saepius tamen medicam esse, motibusque febrilibus ipsis, materiam nocivam eliminare vel corrigere, et sic non raro alios morbos feliciter abigere.

1) Auy Orir Hivinus de recitroe. P G. Werlhof.
(2) C. E C. Richter denan lis morb.

426

28. Bene ergo Sydenham febrim naturae instrumentum esse dicit, quo partes impuras a puris secernat. Boerrhaave, Febris, agit, effectus est celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio, omnium permistio, resistentis subtractio, coctio, crisis ejus, quod febrem produxerat.

29. Febres continuae (Synochiales) primum salubritatis locum obtineant, sequuntur intermittentes, in quibus primas sibi laudes quartana apud veteres (1) demeruit. Negant hoc recentiores, et tertianam multo securiorem, atque salubriorem esse credunt. Quotidianas merito Galenus longas esse, et non sine periculo adfirmat.

30. Morborum per febres sanatorum tantus est numerus atque varietas, ut singulos enumerare superfluum credo. Mentionem facere lubet catarrhorum chronicorum, morborum ex labe abdominali ortorum, impetiginum, profluviorum, chloroseos, hydropis, scrophularum, ulcerum, morborum nervorum dynamicorum, epilexiae, apoplexiae, paralyseos maniae e. s. p. (2).

31. Febris sub morborum mentalium initio adgrediens illos nonnumquam tollere valet; quod, si sero intraverit, nonnisi suspendet, vel mitigabit per aliquod tempus vesaniam.

32 Corporis evolutiones saepe febri junguntur eaque saepissime feliciter absolvuntur.

33. Tantum abest, ut febres nervosae semper

(1) Hippocrates, Galenus, Menapius, et alii.
(2) Hipp. Celsus. Stoll. Wendl.

exitio sint, ut potius meliorem saepe sanitatem post se relinquant (1), imo varios, qui prius aderant, morbos, imprimis nervosos, epilepsiam, vesanium, radicitus exstinguant (2).

34. Exinde patet, non omnes febres fugendas sed frequenter omni circumspectione fovendas, revocandas, imo accendendas esse.

Inflamationes.

35. Multa saepe per inflamationes, praesertim in morbis chirurgicis, natura beneficia praestat. Inflama ione enim cita vulnerum reunio; ossium fractorum conjunctio; fistularum sanatio, partium emortuarum a vivis separatio effecitur (3).

36. Nec minora sunt emolumenta suppurationis ex phlogosi oriundae, utpote quo vulnus a noxiis influxibus externis defenditur, partes omissae restituntur, corpora peregrina ejiciuntur, tumores varii pertinaces liquaefiunt e. s. p.

37. Inflamatio cutis per rubefacientia atque vesicantia producta derivando, revellendo, excernendo haud exigui est momenti in morbis partium internarum periculosis, e. g. in febribus nervosis, rheumaticis, diarrhaea, arthritidae ophtalmia, in omnibus fere organorum nobilium inflamationibus, cephalaea et aliis malis compluribus.

(1) Vel. ab. Hildebrand de Typho contag.
(2) J. Frank.
(3) Reil.

38. Huc referenda sunt ulcera artefacta e. g. per setacea, fonticulos, caustica, moxam, unguenta, irritantia. Summos eorum in medicina usus experentis persaepe confirmat.

39. Magna inde hujus remedii anctoritas in arthrocace, ischiade nervosa, rheumate pertinaci, impetiginibus, chronicis pulmonum, trachae laryngis, oculorum, aurum adfectionibus, doloribus internis, hemicrania, odontalgia.

40. Parotis, glandulae submaxillares, et sublinguales, axillares et inguinales saepius cum fausto eventu inflamantur ac suppurantur; Crisim multorum morborum constituunt.

41. Non immerito quidam morborum catarrhalium magnis laudibus extollunt; saepius enim variam exinde utilitatem percipimus, dum nuno aliorum morborum vices agunt, nunc praesentes removent e. g. cephalaeam, tinitum aurum, visum depravatum; nunc tandem futuros praecavent. Quemadmodum enim in dies per nares caput purgatur, ita extra ordinem aliquando majori copia, salutari etiam conatu et scopo, tales seroso-mucosi humores eliminantur, ut non modo in genere corpus humanum, sed praesertim capitis partes, quin ipsum cerebrum ab hac impura et superflua coluvio repurgentur (1).

42. Erysipelas, imprimis habituale, frequenter varias corporis humani turbas, atque chronicos effectus extinguit. Multis enim observationibus constat tali modo affectiones rheumaticas atque arthri-

---

(1) F. Hoffmann. -- Schneider tract. de catharrhis.

ticas, cephaleam, vertiginem, colicam, anginam, asthma convulsivum, dyspepsiam, morbos biliosos, subpressionem haemorrhoidum, obstructiones viscerum, imo epilepsiam vel sanata vel mitigata esse.

43. Partium externarum rheumatismus rea faustissima esse solet, si accesserit inflammationibus internis rheumaticis. Quin ipsius phthiseos pituitosae per rheumatismum chronicum sanatae exempla habentur (1).

Exanthemata et impetigines.

44. Reminiscimur hoc loco cutanearum efflorescentiarum, quae suam salubritatem luculenter testantur, quod nunc in externa tanquam ignobiliori corporis regione varia inquinamenta excernunt, nunc irritamenta internis partibus infensa derivant, obtundunt, exstinguunt, sicque graves ac periculosos morbos prohibent, aut eorum vices suscipiunt.

45. Sic non raro exanthemati prorumpenti varios adfectus nervosos, gastricos inflamationes internas, amblyopias, amauroses, febres intermitentes pertinaces, rheumatalgias etc. celeriter cessisse clarissimi auctores omnis aevi enarrant.

46. Non inaudita ex ipsis variolis veris salutis dubiae et vacillantis vel et chronicorum adfectionum in meliorem habitum ac in sanitatem florantem permutatio est (2). Variolae enim interdum jam scrophulas, impetigines pertinaces, paralyses, phthisim, lip-

(1) C. G. Selle de phth. pulm. et Reil.
(2) Tode de Scabie critica. - Autenrieth, Hahnemann.

pitudinem, surditatem, tumorem chronicum testiculorum, coecitatem, asthma, dysenteriam et alia mala radicitus sustillerunt.

47. Quem morbum vaccinatione provocare solemus, saluberrimus ille dici meratur, atque certe morbus tutorius princeps. Qua de causa non est, cur plura diseram, cum satis ubique vaccinarum beneficia constent.

48. Etiam ex scabie nonnulli salutem sperant, quam tamen tum praestare potest, quando inconsulto retropulsa fuit, aut ex quaconque causa recessit.

Sic certe innumeros morbos hoc fonte oriundos, e. g. asthamata, phthises, vesanias, coecitates, surditates, hydropes, empyemata, menorrheas, somnolentias, ischiades, scabia vel sponte vel per insitionem, redeunte sanatos esse facile credo. (1).

49. Milliaria saepe variorum morborum crisim constituunt, arthrittidia, erysipelatis, icteri, epilepsiae paralyseos, colicae renalis, scrophularum, rheumatismi, blenorrhoeae vaginae et uteri, imo malancholiae; quae mala si non penitus cessaverunt magna tamen pro parte imminuta sunt. (2).

50. Urticariam interdum febribus rheumaticis finem imposuisse, quidam contendunt. Nec desunt qui aphtas eandem utilitatem praebuisse adfirment (3).

51. Interdum post febres sub morborum chronicorum decursu psydracia cum insigni aegrotantis emolumento adparet (3).

(1) Chirurgi.
(2) Sprengel
(3) P. Frank, § 440.

52. Hidroa febrile morbi primarii, cujus comes est, decursum vel totum absolvit, vel ut crisis salutaris, huic finem imponit (1).

53. Pemphigus raro quidem, sed interdum tamen criticam sibi vindicat dignitatem (2). Idemquoque valet de petechiis (3).

54. Tines capitis et crusta lactea persaepe nil, nisi salutaris depuratio, et ex abundanti ad partes superiores humorum adfluxu (ex vera plenitudine cutanea, glutinisque nutrientis in cute copia) producta excretio. Ideo plerumque, praesente exanthemate vix male se habent infantes, et morbo superato florida gaudent valetudine.

55. Inveteratas cephalaeas tinea finitas esse, experti docent, sicuti etiam achores interdum ad debellendos morbos chronicos fausto cum eventu inserti sunt. Et jam Hippocrates monet, sub infantum ulceribus multum momenti latere ad avertendam epilepsiam.

56. Herpes saepe internos partium dolores et nervosos adfectus hinc inde dispergit. Sicque hypochondriasis, vertigines, cordis palpitationes, et salutis alia non paucа incomoda ab herpetis erruptione cessasse narrantur (4).

57. Interdum periodice ad pellem pustulae adparent, quae sub imagine psorae apud illas, quibus menstrua sistuntur, istorum quasi vices ac decursum absolvunt: psydracia periodica (5).

(1) Ibid. § 428.
(2) P. Frank § 422.
(3) P. Frank.
(4) Riedlinus.
(5) Ibid.

n 72

Dyschymoses.

58. Non omnes hydropis species pravae; nam oedema colli in angina, oedema faciei, colli, extremitatum in secundo stadio variolarum, morbillorum, oedema pedum sub finem morborum acutorum, febrium que intermittentium non raro insigne producit emolumentum; nec vana loquuntur auctores, dum maniam interdum hydrope sanari enarrant. (1).

59. Icterum ex istis, quae temporis decursu tolli possunt, causis oriundum pro morbo salutari habere debemus, quod elementa biliosa, quae per vias ordinarias duci in praesentia nequeunt, non in partibus internis, retineantur, sed per insolitas vias, utpote urinarias, salivales, cutaneas ejiciantur.

60. Icterus febribus supcrveniens, hasce nonnunquam terminat. Nec silentio praetereundum, quod icterus in hepatitide vehementi aeque, ac in peripneumonia biliosa, aliisque hujus indolis inflamationibus, late diffusis saepius salutaris existit.

Profluvia.

61. Insignibus creberrime profluvia tum aerosa, tum mucosa, tum sanguinea coronantur effectibus. Sic in febribus inflamatoriis saepe cruor ex naribus vel ano vel utero prorumpens eas sub initio estinguit, vel sub fine crisim salutarem constituit.

(1) Hipp., Boerh., v. Swieten

62. Tales ergo excretiones, si nec justo parcius (crises partiales), nec justo largius (hypercrises) procedunt, vario modo prodesse solent; nunc enim derivando, nunc vices agendo, nunc evacuando, nunc consuetudine, vel pluribus simul rationibus salutem exhibent.

63. Plurimae, ex quibus comoda aegrotanti scaturiunt, haemorrhagiae venosis adnumerandae sunt; copiosas enim systematis venosi adfectiones hac ratione nunc prohibet, nunc sanat aut minuit natura medicatrix. Verum quidem ex arteriosi cruoris profusione, licet rarior et periculosior esse soleat, varia percipimus emolumenta.

64. Haemorrhagia narium morbos non paucos ex hyperstenia, constitutione plethorica et morbosa vasorum capitis repletione pendentes tollit, utpote febrem synochialem, spasmos, inflamationes topicas, praesertim capitis, vertiginem cephalaeam, odontalgiam, catalepsin, sphoniam, icterum, leucophlegmatiam, maniam etc. Nec raro epistaxis etiam secretionem vicariam alius secretionis cruentae sistit (1).

65. Suo jam tempore Avicenna non omne sputum sanguinis timendum esse monuit et sane praeceteris mulieres haemoptysim impune, imo cum salute perferunt, ex omnis aevi testimonio, suppressa e. g. menstruatione.

66. Eadem ratione vomitum cruentum, praecipue foeminis, nonnunquam, prodesse imo fixis periodis magno cum emolumento reverti observatum est.

(1) Hipp. (G. Bagl.) P. Frank.

4714

67. Haemorrhoidas saepe criticam habent dignitatem; nam multos morbos acutos, inflamatorios, biliosos, intermittentes, stagnationes sanguinis in systemate venae postarum, morbos pectoris atque capitis a sanguinis congestione dependentes feliciter tollunt aut praecavent, et in genere omnibus illis, quae fluxum haemorrhoidalem praecedunt, molestiis finem imponunt (1).

68. Haematuriam haud raro platoricis, amoenorrhoicis post haemorrhoides suppressas profectam esse, non pauci scriptores observarunt veritati amici (2).

69. Metrorrhagia non semper formidanda; prodest enim in metritide aliorumque organorum inflamationibus ex mensium aut lochiorum stasi oriundis, nec minus in mania, caeterisque morbis psychicis (3).

70. Illas quoque licet raras, adnotare lubet haemorrhogias, quae scopo vicario fiunt ex cute (sudores, cruenti), oculis (lacrymatio cruenta:), auribus, gingivis, oesophago, mammis, digitis, ductibus salivalibus, umbilico, ex ulceribus, et cicatricibus reseratis in menstruatione aberrante; plures enim medici talium fluxuum mentionem faciunt, qui fere semper magna cum aegrotantium utilitate acciderunt. (4).

71. Haemorrhagiia traumaticia inflamationem, suppurationem, imo gangrenam partium laesarum et

(1) Hoffman, Reil.
(2) Coel. Aurelianus.
(3) Haase chr. Kr. § 126
(4) Mar. Donatus Schenk.

alia multa incomoda feliciter saepe prohiberi, corpore peragrina ejici, venena repelli, nemo est, qui negat.

72. Varices fluentes phreniticis, melancholicis atque maniacis prodesse, jam medicinae pater Hippocrotes monuit. Et recentiorum plurimi (1) in eo consentiunt quod insignia hypochondriacis, haemorrhoidariis, atque arthriticis par easdem levamina praestantur, etiamsi nullus sanguis evacuetur. Nec ommittendum est, plurimas gravidarum moloestias, vomitum, congestiones, pulsationes etc. per varices optime saepius averti.

73. Fluor albus, saepius quam vulgo credunt salutaris, foeminas a variis morbis praeservat, vel saltem diversas adfectiones mitigat e. g. nervosas, catarrales etc. a mensium anomaliis dependentes (2).

74. Blenorrhea intestini recti relativam nonnullis salutem conservat, suplens nempe saepius haemorrhoides, menstrus, etc.

Nevroses.

75. Saepe morbo nervoso adfecti per eundem, ab aliis molestiis liberantur, dum nevrosi illa silente vel casu vel arte suppressa pessime se habent. regrediente vero non parum levatos se sentiunt. Non raro observatur etiam, quod homines nevrosi laborantes a morbis contagiosis immunes permaneant (3).

---

(1) Reil, Kreyssig.
(2) C. G. Selle, Reil.
(3) Reil.

76. Ut saepa fluxus fluxu, vomitus vomitu compescitur, sic interdum dolor dolore sedatur Quid tandem? si novus dolor priori levior et brevior, nonne salutaris dicendus?

77. Neo solùs dolor dolore vincitur; nam aliae quoque adfectiones per eundem aut mitigantur, aut penitus tolluntur. Sensu enim doloris vita nervorum torpida resuscitatur, motus languentes excitantur, ae et excretiones ad normales reducuntur et omnium functionum concentus restituitur.

78. Hanc ob causam in febribus adynamicis, in morbis soporosis, asphyxia, paralysi, ischiade, luxatione spontanea, variisque adfectionibus nervosis dolorem provocamus, quod saepesaepius cum optimo effectu coronatur (1).

79 Sensus formicationis, dolor, convulsio in partibus paralyticis bonum est omen.

80. Natura non solum vires vitales augendo, verum etiam diminuendo nonunquam sanitatem restituit, quod luculenter constat ex animi deliquiis, quibus haemorrhagiae periculosae, sine artis adminiculo, feliciter sistuntur.

81. Tussis non raro salutaria est naturae nisus, impedimenta, vel irritamenta viae respirationis vel pharingem at oesophagum obsidentia ejiciendi. Nec desunt exempla; ubi vonica in pulmonibus haerens per tussim rupta et ejecta est, subsequente sanatione plena.

---

(1) J. Frank.

Morbi Psychici

82. Quemadmodum morbi somatici psychicis accedentes plenam interdum sanationem adducere valent: sic mania ipsa e contrario non paucos corporis morbos sustulit, vel its mutavit, ut arte dein sanare potuerint. Id quod valet de haemoptysi, febri lenta, hydrope, tabe, dyspepsia, syphilide ipsa, imprimis vero de morbis in abdomine sedentibus (1).

83. Neque obliviscendum, quod morbi psychici saepissime a contagiis defendant.

84. Animi pathematum promtissimam saepe in variis morbis pertinacibus utilitatem historia satis demonstrat. Sic dolores, paralyses, alalia, febres, epilepsia, singultus, aliique morbi praeprimis nervosi terrore, ira, timore, gaudio repente cessaverunt (2).

Quum morbos ergo salutiferos existere multorum experientia saeculorum satis superque edoceat, in hisce adfectionibus methodum exspectativam saepissime locum habere sponte colligetur.

---

(1) Tissot; Reil.
(2) Richter de Sanandis morbi per morb.

THESES

I

Omnis nutritio ex sanguine.

II

Diagnosis physiognomica summi momenti.

III

Asthma Millari, nil nisi spasmus laryngo trahealis.

IV

Abstinentia, quies, silentium magna remedia.

V

Hydrostatica pulmonum decimosia caeteris methodis praestat.

VI

Diagnosis ex Symptomatibus certior quam ex causis.

99 938767

440